

SCRIPTA

Numéro Scripta : 8468

Auteur(s) : Guillaume de Semilly [particulier]

Bénéficiaire(s) : Aunay-sur-Odon, Notre-Dame d'Aunay (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1204

Action juridique : donation

Langue du texte : latin

Analyse

Donation par Guillaume de Semilly fils d'Enguerrand du Hommet

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Le Hardy Gaston, *Étude sur la baronnie et l'abbaye d'Aunay-sur-Odon*, Caen, H. Delesques, 1897, Pièces, n° 12, p. 272-275.

Texte d'après a

Willelmus de Semilleio Enguerranni de Humeto filius omnibus Sanctæ matris Ecclesiæ filius ad quos præsens carta pervenerit : in Domino Salutem. Quum generatio proterit et generatio advenit, et in brevi gestorum memoria aboletur, in scripturæ beneficio conservetur quæ Abbatia Alneti antecessorum meorum largitione et mea donatione collata sunt, litteris mandare, testibus firmare, sigillo munire commodum existimavi, ne cujusque temeraria audacia famulorum Dei possessiones concutiat calumpniis, ipsorumque quietem perturbet. Hunc itaque monachi de Alneto ex dono Jordani de Saio avi patris mei et Lucie uxoris ejusdem Jordani, aviæ patris mei, locum in quo primum constructa est abbatia, sicut descendit terra de Monte us Oudonem et partem forestæ sicut via descendit versus domum Osberti Carpentarii. Ex dono corundem terram de Repentis concessa Radulfi de Bures et heredum suorum quam Lucia prædicta avia patris mei emerat. Item ex dono eorumdem quoddam nemus juxta nemus Anketilli concedente Radulfo de Bures et hoeredibus suis. Ex dono eorumdem decimam totius dominii et decimam molendinorum de Deserto, et decimam moledinorum, et theloniæ, et virgultorum, et pecorum, et vivarri de Alneto ; quam scilicet decimam vivarri Enguerannus pater meus dedit. Item ex dono eorumdem duas garbas decime de Baucheio. Item ecclesiam de Herovilleii, et quicquid habebant in ecclesia de Ranyilla et in decima, et decima molendini sui in eadem ; Item in Cormorlain decimam totius dominii sui. Item ecclesiam Balereii cum tota decima, et decimam molendini. Ex dono autem Lucia aviæ patris mei pratum unum in Baucheio. Ex donatione vero avi mei Ricardi de Humeto et Agnetis aviæ meæ, concessu Engueranni patris mei et Willelmi de Humeto avunculi mei, sedem et positionem abbatiæ novæ super Oudonen, et XX acras terræ feodi filiorum Alveredi. Item totam terram de masura arsa quam avus meus emit de Radulfo de Nærnis. Item totam villam quæ dicitur Ferraria cum bosco Aalouf, et cum omnibus pertinentiis suis excepta ecclesia et molendino. Ex proprio dono Engueranni patris mei XXX acras terræ apud Alnetum juxta territorium Sti Georgii. Item ecclesiam de Bennevilla cum omnibus decimis et pertinentiis suis, concessu Ceciliae matris meæ et Henrici fratris mei, concessu et Ranulfi de Braibouf qui de Enguerranno patre meo eam tenebat, et concessu Petri filii ejus. Item ecclesiam de Cambis cum omnibus pertinentiis suis, Cecilia matre mea concedente, et redonante, concessu Henrici fratris mei. Item ex donatione Ceciliae matris meæ Ecclesiam Sti Ebremundi de Similleio cum terra elemosinaria et cum omnibus decimis et appenditiis ac pertinentiis suis, Henrico fratre meo ad cuius presentationem post decessum matris eadem spectabat

ecclesia, presentationem ejusdem ecclesiæ, et quicquid juris in ea habere debebat, monachis de Alneto concedente et donante, et super altare cum Cecilia matre mea ponente. Item ex dono meo proprio porciunculam terræ ad perficiendum clausum monachorum quod situm est ultra montem juxta nemus meum, et quicquid juris in clauso habere debebam, sublata de medio omni calumpnia, et a me, et ab hæredibus meis. Item viam quæ tendit ad grangiam per nemus meum, et portam quæ est a parte nemoris mei propinquior dedi et concessi monachis in perpetuam elemosinam. Item positionem quandam ad faciendum quoddam vivarium inter abbatiam et monasterium Alneti cum molendino Folerez quod ibi situm est super Oudonem fluvium. Has autem predictas donationes liberas et quietas, et ab omni servitio et consuetudine et exactione absolutas, ego Willelmus de Similleio Deo et abbatia beatæ Mariae de Alneto concessi et presenti carta confirmavi, et sigillo meo munivi, pro salute animæ meæ et animarum patris mei, et matris meæ, et fratrum meorum, et omnium antecessorum et successorum meorum, nullum donum vel servitium in rebus monachorum vel hominum in terra eorum manentium mihi vel posteris meis reservans, hac solummodo contentus remuneratione ut orationum, missarum et hujusmodi obsequiorum spiritualium, frater et consors et particeps esse merear. Testibus his : Willelmo de Humeto – Ricardo de Humeto – Willelmo de Sai filiis ejus – Jordano clerico – Gaufrido, Engueranno fratribus meis – Silvestro de Sicca Villa – Rogero Suhart – Rogero de Logis – Ricardo de Rovecestria – Wuillelmo de Rovecestria – Radulfo de Montibus.